

www.e-rara.ch

Pars III

Plutarchi adversus Colotem, liber

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

PLUTARCHI
Adversus Colotem,
Liber.



COLOTES, quem Epicurus sole-
bat Colotaram & Colotariū blan-
diendi causa diminuta voce appel-
lare, librum edidit hac inscriptio-
ne, Secundum aliorum philosopho-
rum decreta ne viui quidem posse:

cūmque regi Ptolemæo dedicauit. Quæ verò nobis
adversus Colotem disputare subiit, existimo te, Sa-
turnine, cum voluptate lecturum, si perscripsero: vt
qui honestis rebus antiquitatísque studio tenearis,
hancque maximè regiam delectationem esse cen-
seas, memoria complecti & in promptu habere quan-
tum eius fieri potest, veterem doctrinam. Nuper,
cūm is liber recitaretur, vnus de sociis nostris Ari-
stodemus Aegienfis, quem nosti, secta Academicus,
& non ferulam gestans, quod aiunt, sed ardentissi-
mo instinctu Platonis orgia celebrans, nescio quo-
modo præter morem suum silentium cūm tenuisset,
& ad finem vsque modestè auditorem se præbuisset:
absoluta lectione, Agedum, inquit, quémnam huic
opponemus pro philosophicis propugnaturū? Non
enim admodum probo Nestorem, qui de 1x he-
roibus cūm deberet præstantissimum deligere, for-
tunæ & sorti rem commisit. Atqui vides, aiebam,
ipsum se sortitioni præfecisse, vt prudentissimo ho-
mine eam moderante conficeretur. itaque

Exiit è galea sors exoptata Pelasgis,
Aiacem pugnæ dedens Telamone creatum.

Iliad. n. 171.

Sed tamen quando tu deligere iubes,

Quonam diuini patris obliuiscar Vlisiss?

Iliad. n. 243

Vide ergo ac meditare, qua ratione hominem vlciscaris. Atqui, aiebat Aristodemus, meministi Platonem, cum puero irasceretur, non ipsum verbera ingessisse, sed hoc Speusippo mandauisse, quod se animo commoto esse diceret. Ita tu quoque nunc meo loco hominem tracta ut libet: ipse enim iratus sum. In eandem sententiam aliis etiam exhortantibus: Dicendum ergo est, inquam. Vereor autem ne videar ipse quoque maiore quam par est studio adversus hunc librum contendere. Propterea quod quidam rusticitate & scurilitate atque petulantia nimia elatus, fenum Socrati edendum obtulit, loco panis, cum nihil hic se certo
 * scire pronunciaret: interrogauitque cur cibum non in aurem, sed in os imponeret. Sed fortassis haec risum alicui concitent, mansuetudinem & comitatem Socratis consideranti.

Sed integro iam pro Graiorum exercitu,

id est reliquis philosophis, de quorum numero sunt Democritus, Plato, Empedocles, Parmenides, Melissus, ita traductis tacere turpe est: ac praeterea nefas etiam aliquid de summa pro illis dicendi libertate remittere, qui tantam philosophiae gloriam parauerint. Etenim vitam quidem nobis parentes deorum auxilio largiti sunt. à philosophis autem iuris & legum adiutricem doctrinam, & quae cupiditates coerceat accipientes, bene nos vivere putamus. est autem bene vivere, amicè & societati hominum convenienter, temperanterque & iuste vivere. Atqui horum nihil nobis relinquunt, qui summum bonum circa ventrem esse clamant, & voluptate undique reiecta vniuersas virtutes ne perturbato quidem aere emerent. Vitiosa est etiam eorum de diis & animo ratio: hunc enim perire dissolutum, illos nullam rerum humanarum curam gerere aiunt. Alios philosophos hi reprehendunt sapientiae nomine, quod vitam medio tollant: illi eos, quod turpiter & belluino more vivere nos doceant. Atque haec quidem sparsa sunt per Epicuri disputationes, & philosophiam

5 philosophiam eius. Colotem autē voces quasdam rerum
 inanes avellendo, & partes sermonum ac frustra affir-
 mationis & intelligentiā fidemq; conciliantis ratio-
 nis expertia cōtrahendo librū composuisse, quasi fo-
 10 rum quoddam aut tabulam monstrorū, omniū opti-
 mē vos nostis, qui in manibus habetis scripta anti-
 quorum. Mihi verò videtur sicut Lydus ille aperire
 adversus seipsum, nō unicam ianuā, sed plurimis dif-
 ficultatibus & maximis involuere Epicurū. Initium
 15 enim facit à Democrito, cui quidem præclarā & di-
 gnā persoluit mercedē. Et sanè longo tēpore Epi-
 curus se Democriteum professus est. quod & alij di-
 cunt, & Leonteus vnus de summis Epicuri discipu-
 lis ad Lycophronem scribit, honorē haberi Demo-
 20 crito ab Epicuro, quia is primus rectā cognitionem
 attigerit, ac primus in principia naturę inciderit, vn-
 de vniuersa tractatio Democritica appelletur. Me-
 trodorus verò apertē de philosophia dixit, Nisi prę-
 iuisset Democritus, Epicurū nunquā fuisse ad sapien-
 25 tiam perventurū. At verò si secundū Democriti de-
 creta viui nō potest, ridiculus Epicurus, qui ad non
 viuendum ducentem sequatur. Huic primū id vi-
 tio dat, quod vnāquāq; rem adferens non magis
 talem quā talem esse, vitam confuderit. Atqui tan-
 30 tum abest hoc vt senserit Democritus, vt etiā Pro-
 tagoram sophistam hoc adfirmantem impugnaue-
 rit, ac multa & probabilia contra eū scripserit. Quæ
 cum ne per somnū quidem vidisset Colotes, lapsus
 est in verbis eius, quibus definit non magis den esse
 35 quā meden: den nominans corpus, meden ina-
 ne, quasi hoc quoque suam quandam naturam &
 substantiam haberet. Enimverò qui sentiret nihil
 magis tale esse quā tale, Epicureū sequeretur de-
 cretum, quo omnia sensus visā vera statuuntur esse.
 Nam si duobus dicentibus altero austerum esse vi-
 num, altero dulce, neutrius sensus fallit: qui magis
 austerum erit vinum quā dulce? quin & eodem

*Democritus
defenditur.*

*Epicurei de
sensibus opi-
nio refellit-
tur.*

lauacro vides vnū vt calido, alterum vt frigido uti: cum hæc calidam, ille frigidam affundi iubeat. & ferunt Spartanam quandā mulierem accessisse ad Berenicem Deiotari vxorem, cūque invicem appropinquassent, averfas fuisse, quòd vnguentum altera, 5 altera butyrum olfaciens averfaretur. Si ergo vna sensio nō est verior quàm altera, consentaneum est aquam nō magis frigidam esse quàm calidam, & vnguentum butyro non melius olere, non deterius. nam qui aliud alij videri ait, is imprudens vtrunque 10 affirmat esse. Illæ autem multorum sermone tritæ concinnitates & proportionales meatuum in sentiendi instrumentis, & multiplices seminum permixtiones, quæ omnibus saporibus, odoribus, coloribusque inspersa aiunt sensum mouere ad alias aliorum 15 qualitates percipiendum: an non rectè eos adiungunt ad dicendum, aliud alio non magis esse tale? Etenim quando refellere hos volunt, qui sensus fallere ideò aiunt, quòd vident diversè ab eadem re nos affici: docent confusis atque permixtis simul 20 omnibus, cū natura sit comparatum vt aliud alij quadret, non esse contactum aut appræhensionem eiusdem qualitatis, neque à re subiecta omnes omnibus partibus eodem modo affici: sed eas tātum vnicuique occurrere, ad quas sensum habet mensura 25 respondente concinnatum. itaque non rectè nos de eo certare, rem esse albam aut non albam: dum nostrum sensum volumus defendere, alienum impugnare. nulli enim sensationi repugnandum esse, cū quævis aliquid appræhendat ex illa multiplici mixtura: quævis id, quod ei est accommodatum & conueniens. neque de toto pronunciandum esse, cū partes duntaxat attingantur: neque putandum omnes debere eodem modo à re eadem affici, cū alius alia eius vi & facultate afficiatur. Quæredūne iam 35 est, quīnam homines non magis hoc quàm illud esse rebus inferant? certè hi, qui omnis generis qualitatum

litatum sensilium mixturam statuunt, *
 confusionem qualis est musti * *

- fatenturq; suos canones perire ipsis, & omnino ab-
 5 oleri facultatem iudicandi, si vllum sensile sincerum
 relinquerent, non vnumquodque multa facerent.
 Vide iam, quæ de vini calore secum disputantem Po-
 lyænum in conuiuio Epicurus facit. Dicente enim *Vinum an*
 Polyæno, Negásne Epicure vinum calefacere? sub- *calidum.*
 10 iecit quidam, Non vniuersè de vino pronunciarì es-
 se ei vim calefaciendi. & paulo pòst. videtur enim v-
 niuersè non habere facultatem calefaciendi vinum:
 tantillum autem huncce calefacere posse dicemus.
 Rursúmque rationem reddens, collisiones & disse-
 15 minationes atomorum, aliorúmque admixtiones &
 adiunctiones causatus in vini cum corpore commix-
 tione, hæc addit. Itaque vniuersè dicendum non est
 vinum esse vi calefaciendi præditum: sed tantum vi
 20 ni huiusmodi itaque adfectam naturam calefacere
 posse, aut refrigerare. Insunt. n. in tali congerie etiá
 tales naturæ, è quibus frigus confici possit, si ita vsus
 ferat, vt aliis adiunctæ naturam frigefactionis præ-
 25 stent. Vnde per errorem alij vinum vniuersè frigefa-
 ciens dixerunt, alij calefaciens. Sanè qui plerosque
 errauisse ait, qd calefaciens id quod calefacit, frigefa-
 ciens id quod frigefacit censuerunt: ipse decipitur, si
 nō sentit ex suis verbis hoc cōsequi, nisi magis esse ta-
 le quàm tale. Addit porrò, sæpe vinum in corpus ita
 30 venire, vt neq; calorè neq; frigus inferētē vim secū
 adferat: sed commota mole & facta corporum mu-
 tatione atomi quæ calorem inducūt aliquando (in-
 quit) coeuntes sua multitudine calorem & inflāma-
 tionem corpori præbent: aliquando elapsæ frigus
 35 gignunt. Porrò autem his licet adiicere ea quæ ha-
 bentur & dicuntur amara, dulcia, purgantia, sopori-
 fera, lucida quorum nullum perfectam in sese habe-
 re qualitatem & vim agendi potiùs quàm patiendi
 vbi in corpora incidunt, sed aliam in aliis nascisci

De colorib. differentiam ac temperiem, haud obscurè Colotes sentit. Ipse quidem Epicurus in secundo adversus Theophrastum libro negans corporibus innasci colores, sed generari secūdum quasdam ordinationes & positus respectu visus, hac ratione inquit corpus non magis effici coloris expers quàm coloratum. Suprà autem in hanc sententiam scripserat. Cæterū
 23 etiam absque hac parte, nescio quo pacto oporteat
 24 ista, quæ in tenebris sunt, colorata dicere. Atqui sæ-
 25 penumerò aere tenebroso circumfuso, alij sentiunt
 10 discrimen colorum, alij non sentiunt ob visus hebetudinem. deinde ingressi in domum tenebricosam, initiò nullum colorem videmus parua mora ibi facta, videmus. Ergo vnumquodque corpus dicemus non magis habere quàm non habere colorem. Si autem
 15 tem color ex eorum est censu quæ aliò referuntur, albedo quoque respectu alterius albedo erit, & cœruleum. & si hæc, etiam amarum & dulce: fiétque, ut de nulla non qualitate verè dicatur, eam non magis
 20 esse quàm esse. talis enim erit quævis, qualis est sentientis affectio. Proinde cœno, in quo iacere ait eos qui res non magis hoc quàm illud esse pronunciant, sese & magistrum suum perfundit Colotes. An verò hæc tantum egregius ille

Aliis mederi vult, ipse ulcibus scatens?

25

Non profectò. Sed magis etiam in secunda reprehensione imprudens cum Democrito Epicurum è vita exturbat. Quod enim ille dixit instituto hominum esse colorem, itémque dulcedinem, & concretionem * atomos ait dici à Democrito sensibus. & qui perseveret in hac sententia, eamq; sequatur, nō posse intelligere viuátne ipse an sit mortuus. Nihil habeo, quod contra hæc dicam. hoc autem
 30 possum affirmare, tam non posse à decretis Epicuri ea separari, quàm ipsi figuram & grauitatem ab atomo negant disiungi. Quid enim dicit Democritus?
 35 substantias multitudine infinita, diuisionis & differentia,

*Democriti
 ortum verū
 negāis sen-
 tentia.*

tie, qualitatis quoq; & affectionis expertes in vacuo
 ferri dispersas. quæ si invicē appropinquant, aut in-
 cidant, aut sese complectantur, congeriem videri a-
 liam ignem, aliam aquam, aliam plantam, aliam ho-
 minem. esse autē omnes atomos, quas ideas seu for-
 mas ipse appellet, aliud nihil. Nam ex eo quod non
 est, nihil fieri. ex iis quæ sunt, nihil nasci, cū ob so-
 liditatem neq; adfici possint atomi, neque mutari.
 vnde neq; color ex carentibus colore, neq; natura
 aut anima ē qualitate nulla præditis omnēmq; affe-
 ctionem subterfugientibus existat. Repræhenden-
 dus ergo Democritus, nō quòd sit ea confessus quæ
 principiis eveniunt: sed quòd principia posuit, qui-
 bus isthæc accidunt. Non enim debuit immutabilia
 ponere principia: aut his positis non sentire tolli om-
 nis generationē qualitatis: & negare hoc absurdo
 cōspecto. Impudentissimè aut Epicurus ait, eum po-
 nere principia eadem, & negare instituto hominum
 colorem, saporē, reliquasq; qualitates esse. Iam si ne-
 gare hoc est, nōne fatetur eum facere tale aliquid,
 quale ipse solet Epicurus? Etenim hic providentiam
 tollēs, profitetur tamē pietatē se relinquere: & cū
 voluptatis gratia amiciciā expetat, ob amicos tolera-
 re grauissimos dolores: ponēsq; infinitū esse Vni-
 uersum, superiorē inferiorēmq; locum nō negare. E-
 quidē poculo accepto licet bibere quantū velis, re-
 liquum omittere. At in disputatione maximè tenen-
 dum memoria est sapiens illud dictū, Quorum prin-
 cipia non sunt necessaria, eorū fines necessarios esse.
 Quapropter hæc necessitas Epicuro incumbit, vt
 cū posuerit, aut potius postulatū Democrito suffu-
 ratus sit, atomos esse omnium principia rerum, idq;
 decretū primis eius probabilib. exornauerit rationi-
 bus: ebibat etiā illud molestū, aut demōstret quomò-
 do qualitatis omnis expertia solo coitu omnigenas
 qualitates produxerint. Verbi gratia, calor quē nos
 vocamus, vnde venīt, vnde incidit atomis, si neque

convenerunt calore præditæ, neque congressas ali-
 quid calidas fecit. illud enim est qualitatem haben-
 tis, hoc ad recipiendum natura idonei: quorum vos
 neutrum atomis convenire dicitis, propterea quia
 interitus sint expertes. Quid ergo? an non Plato, in-
 quies, etiam, atque Aristoteles & Xenocrates aurum
 ex non auro, lapidem ex nō lapide, & reliqua omnia
 è quatuor primis & simplicibus nasci dicunt corpo-
 ribus? Omnino. Verum his statim ad quamvis rem
 procreandam coeunt principia, magnamque veluti
 stipem conferunt suas quodq; qualitates: & ubi cō-
 gressa sunt cum siccis humida, cum frigidis calida,
 cum duris mollia, mouentia cum his quæ invicem
 adficiuntur: facta mutatione per tota, diuersam di-
 uersa contemperatione producūt formam. Atomus
 cum ipsa ex sese vacua est omnis genitalis facultatis,
 tum in aliam incidens, fragorem ob duriciem & ri-
 giditatem, aliud nihil efficit. sed feriunt & feriuntur
 mutuò per omne tempus: & non modò nullum ani-
 mal, nullam animam aut rem naturalem, sed ne acer-
 uum quidem aut numerum conficere possunt, adfi-
 duò exagitata & diuulsæ. At Colotes tanquam cū
 indocto rege colloquens, rursus Empedoclem inse-
 ctatur, quod is ita scripsisset.

*Empedoclis
 de natura
 sententia
 defenditur.*

Nunc aliud dicam tibi. non mortalibus ullis

Natura est: neq; res crudeli morte abolentur.

Mixtio sed tantum. & rebus secretio mixtis

Accidit: hoc homines naturam nomine dicunt.

Hæc ego non video qui repugnent vitæ, si qui opi-
 nantur neque oriri id quod non est, neque interire
 quod est: sed eorum quæ sunt coitioni generationis,
 dissipationi interitus nomen inditum. Nam id qui-
 dem apertè Empedocles ostendit naturam se pro or-
 tu posuisse, cum mortem ei opponit. Qui verò mix-
 tionis ortus, interitus dissolutioni tribuunt, ij si non
 viuunt, neque possunt viuere: quid hi aliud faciunt?

Sane

Sanè Empedocles elementa glutinans & concinnās
 caloribus, molliciebus, humiditatibúsq; mixtionē
 iis & concretionem in vnum vtcunque tribuit. At
 qui immutabiles & omnis consensus vacuas atomos *Aduersus
 atomos.*
 5 in vnum cogūt, ij nihil ex ipsis, sed ipsarum crebros
 & continentes ictus faciunt. Etenim complexio dis-
 solutionem prohibēs, magis intendit collisionem: vt
 neque mixtio fiat, neque glutinatio, sed tumultus &
 pugna, quam illi generationem ducunt. Quæ verò
 10 momento temporis nunc quidem abeunt ob relisio-
 nem, nunc progrediuntur ictu languente, duplo am-
 plius tempore a se absunt invicem, vt non contin-
 gant se neque mutuo appropinquent: vt ne animæ
 expers quidem possit ab iis effici quicquam. At ve-
 15 rò sensus, anima, mens, intelligētia quomodo in ina-
 ni existant & atomis: cū hæc neq; pro se qualita-
 tem habeant, neq; coitu sese adficiant mutētye in-
 vicem: neq; earum congressus contemperationem
 mixturam aut coalitionem efficiat, sed ictus & repul-
 20 sas. Itaq; his decretis vita tollitur, & animal esse ne-
 gatur, inania, nulli affectioni obnoxia, qualitate ca-
 rentia, mixtionisq; non capacia ponentium princi-
 pia. Quo modo ergo relinquunt Epicurei naturam,
 animam, animal? Eo, quo iusiurandum, preces, sacri-
 25 ficia, venerationem deorum: verbo scilicet, & simu-
 lando ac nominando ea, quæ suis principiis & decre-
 tis tollunt. Sic quidem id quod natum est naturam,
 & quod ortum est generationem vocāt, vt qui trās-
 lato vocabulo ligna rogam, & consonantia corpora
 30 consonantiam dicunt. Iam vnde venit Colotæ in mē-
 tē, vt huiusmodi voces Empedocli obiiceret: Quid
 defatigamus nos ipsos nostri causa, & res alias appe-
 timus, alias declinamus? quando neque ipsi sumus,
 neque cum aliis viuentibus agimus? Enim vero, di-
 35 ceret aliquis, bono es animo mi Colotarium, nemo
 vetat te pro te ipso esse industrium, docens Colotis
 naturam nihil esse aliud quàm ipsum Colotem: neq;

Odyf. 2,
600.

te res gerere prohibet (res autē vobis sunt voluptates) ostendens non esse naturam placentarum, odorum, rei venereæ, esse autē placentas, vnguenta, mulieres. Nam neque grammaticus dicens vim Herculeam esse ipsum Herculem * neque qui consonantias ac trabium proiecturas dicunt, sonos esse & trabes negant. quando etiam animam quidam & intelligentiam tollentes, neque ipsum viuere, neque intelligere videntur negare. Cæterum quando Epicurus dicit, Eorum quæ sunt, natura est corpora & inane, sic ne accipiemus, ut naturam intelligamus aliquid esse præter ea quæ sunt? aut ut ea quæ sunt innuerit esse, nihil præterea? sicut scilicet inanis naturam ipsum inane, atque adeo vniuersa Vniuersi naturam solet appellare. Ac si quis quærat, Quid ais Epicure, hoc inane esse, illud inanis naturam? Omnino, dicet. & instituto hominum atq; vsu recepta est hæc * nominum communicatio. Adsentior. Quid ergo aliud fecit Empedocles, docens naturam: nihil esse ab eo quod nascitur diuersum, neq; mortem à moriente. Sed sicut poetæ sæpenumero simulacra effigentes dicunt,

Intus erant Lis, atq; Tumultus, Perniciesq;
sic ortum quendam & interitum vulgò tribuunt iis quæ nascuntur aut dissoluuntur. Tantum abfuit ut moueret res loco, & iis quæ sensui apparent repugnaret, ut ne vocem quidem vsitata significatione expulerit. sed quantum illa erroris damnosi rebus inferre poterat, id amolians, rursus consuetum vocabulis vsum reddidit in his versibus:

* *Ergo uir mixtis apparet quando elementis,
Brutorum uel agreste genus, fruticis sue uidentur,
Aut uolucres: nasci tunc hæc dicunt. Et oriri:
Cum secernuntur, mortem miseram interitumq;
Appellant. —*

Hos versus quanquam adduxit Colotes ipse, non tamē

men intellexit homines, feras frutices, aues ab Empedocle non tolli, cùm ea dicat mixtione elementorum absolui. Neq; verò dum ostendit vbi qui his concretionibus & secretionibus ortum quēdam, & miserum interitum mortēq; imputant, a vero aberrant: ideò vetuit de re ipsa nos vocibus vsitatis loqui. Mihi profectò non hanc verborum translationem Empedocles voluisse videtur mutare, sed (vt dictum est) de re ipsa ei controuersiam fuisse cum iis, qui ortum ex eo quòd nō esset naturæ vocabulo notabant. Idq; hi maximè indicant versus:

Stulta, & prolixas non admittentia curas

Pectora : qui sperant existere posse, quod antè

Non fuit, aut ullam rem pessum protinus ire.

Hi quidem versus, eius sunt qui alta voce inclamēs auritis hominibus, non se ortum, sed ex eo quod nō sit ortum negare: neq; interitum, sed eum interitū quo res in nihilum redigatur. Nam si quis non ita inhumaniter, non etiam ita fatuè calumniari vellet: id quod sequitur diuersam in partē vituperare posset. dicente Empedocle:

Non animo prudens homo quod præsentiāt ullus.

Dum uiuunt (namq; hoc uitæ nomine signant.)

Sunt, & fortuna tum confligantur utraq;.

Ante ortum nihil est homo, nec post funera quicquam.

Hæc enim non sunt negātis esse eos qui nati sunt & viuunt: sed eius, qui censeat esse & eos qui nati nōdum sunt, & qui iam mortem obierunt. Sed Colotes omnino hoc non obiecit. Dicit autem de sententia Empedoclis nunquam nos ægrotaturos, nunquam saucios fore. At quomodo is, qui ante ac post vitam ait cuius bona & mala adesse, non hoc relinquit vt is afficiatur. Quorum tandem, Colota, est nō vulnerari, non in morbos incidere? Vestrum, qui ex atomis & inani estis compacti, quorum neutri

*Parmeni-
dis defen-
sio.*

sensus inest. Neque hoc adeò est atrox. Sed id, quòd voluptatem quoque vobis quod afferat non habetis : atomo vim efficientium non recipiente, inani ab his nò patiente se affici. Sed quando Colotes deinceps vnà cum Democrito voluit defodere Parmenidem : ego autem huius causa præterita Empedocleam adduxi, vt magis convenientia prioribus criminationibus : redeamus nunc ad Parmenidem. Dicit Colotes eum turpia protulisse sophismata. Atqui his Parmenides neque amiciciæ infamiam, neq; studio voluptatum ferociam adiecit, neq; honesto suam dignitatem qua per se ad sui appetitum traheret ademit, neque de iis receptas sententias conturbauit. Neq; video cur viuere nos prohibuerit eò, quia Vniuersum vnum dixit esse. Etenim Epicurus quando Vniuersum dicit esse infinitum, ortus occasusq; expers, itémque incrementi & decrementi : tanquàm de vno differit Vniuerso. Ab initio autem tractationis cùm dixisset naturam rerum corpora esse & inane : veluti vnicam in duas diuisit partes. quarum altera cùm re vera sit nihil, à vobis autem appelletur intactile, vacuum, corporis expers : etiam vobis Vniuersum est vnum, nisi inanibus vti vocibus velitis de inani aduersus antiquos vmbatilem committentes pugnam. Sed infinita me hercle numero corpora sunt de Epicuri sententiâ, & sit vnumquodq; eorum quæ apparent ex iis. Videte quas ortui rerum causas assignetis : insignitatem & inane : quorum hoc agendi & patiendi exfors, corpore etiam caret. illa ordinis rationisq; expers compræhendi nequit, ipsa se conturbans ac perimens, quia ob multitudinem definiri non potest. At verò Parmenides neque ignem sustulit, neque aquam, neque præcipitium, neque vrbes, vt ait Colotes, in Europa & Asia habitatas. qui etiam propter * mundum fecit : miscensq; principia splendidum & tenebrosum, ex his & per * hæc omnia quæ videntur conficit. Nam & de terra multa

multa dixit, & de cœlo Sole, Luna, ac sideribus, ac hominum procreatione: nihilque eorum quæ præcipua sunt non distinctè descripsit, utpote homo antiquus in physiologia, & qui propriam, non alienam conscriberet philosophiam. Quoniam autem omnibus aliis, ipso etiam Socrate prior sensit naturam habere opinione aliquid, aliquid mente compræhendendum: est autem opinabile istud inconstans & variis motionibus ac mutationibus obnoxium, & quod ob incrementa ac decrementa alium ad alia respectum habens non semper eodem modo sensum afficiat: intelligibile verò alia species, quod est, ut ipse cecinit,

Æternum, integrum semper, semperque quiescens,
 15 suique simile & constanter suam naturam conservans. hæc vocabulis calumniam struens Colotes, ac de rebus ad verba trahens disputationem, simpliciter ait Parmenidem quia unum ens ponat, omnes res abolere. Ille verò neutram abolet naturam, sed utrique id
 20 quod ei convenit tribuens, in forma unius & Entis ponit intelligibilem. Ens quidem ut æternum & interitus securum. Unum autem ob similitudinem sui ipsius, & quia nullam admittit differentiam appellans. In forma porro inordinata & in motu versante
 25 sensilem naturam collocat. Atque etiam videre licet quomodo ea sentiat iudicari.

Aut verum certa poteris cognoscere mente,
 nimirum intelligibilem & semper eodem modo habentem naturam attingente:
 30

Sive hominum sensus, quibus haud iam certa fides est:
 quod scilicet opiniones hominum versantur iis in rebus, quæ omnis generis mutationes, motus, inæqualitatésque admittunt. Et verò qui reliquisset opinionem & sensum Parmenides, sublato opinabili & sensili, dici non potest. Sed quia ei quod verè est convenit permanere in sua natura, ista autem alia modo
 35

Peripateticorum à Platone dissensio.

sunt, modò non sunt, semperque mutant suam naturam: statuit hæc aliam quàm quæ semper sunt appellationem requirere. Ergo hæc oratio, qua Ens vnũ esse pronuntiatur, nõ negat multa ista & sensilia, sed ostendit quid ab intelligibili natura differat. Quod discrimen plenius etiam in idearum tractatione monstrans, Colotæ ansam repræhendendi dedit. itaque deinceps etiam quid contra eum dixerit, videamus. Ac primùm diligentiam & multiplicem scientiam consideremus huius scilicet philosophi: qui Platonis sententiam secutos esse ait Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, omnesque Peripateticos. Quæ enim in parte terræ non habitabilis scripsit librum suum, vt hac accusatione recepta non liceat tibi istorum libros in manus sumere, & legere Aristotelis De cælo & anima, Theophrasti adversus physicos scripta, Heracleti Zoroastræ, de iis quæ sunt apud inferos, de difficilibus naturæ quæstionibus, Dicæarchi de anima? quibus in libris hi de præcipuis & maximis philosophiæ naturalis capitibus Platonem continenter impugnant atque subruunt. Et quidem Peripateticorum reliquorum summus Strato, neque cum Aristotele sentit multis de rebus, & de motu, mente, anima, ortu, contraria Platonice defendit. denique mundum ipsum animal esse negat, & naturalia commitari fortunæ, casu initium motus naturæ præbente, itaque hos porrò absolui. Ideas autem Platonice Aristoteles vbique incessens dictis, in moralibus, in naturalibus commentariis, in iis quæ exoterice seu extraneæ vocantur disputationibus, visus est quibusdam maiore contèdendi quàm sapientiæ studio id fecisse: vt qui sibi proposuisset philosophiam Platonis contemnere. tantum abest vt eum fuerit secutus. Cuius ergo leuitatis est, cum sententias istorum hominum non addideris, falsò te iis adscribere quæ non probauerunt? cumque in animum induxeris alios refellere, tua te manu contra te inscitæ & te-

& temeritatis publicare indubitabile argumentum?
 consentire dicentem cum Platone qui dissident, &
 subsequi eum qui reclamant. Nimirum autem Plato, *
 inquis, temere dixit equos sub nobis equos esse, &
 5 homines. Quo tandem in commentario Platonis in-
 venit hoc Colotes? Nam nos quidem in omnibus
 legimus hominem hominem, equum equum, ignem
 ignem ipsius opinione statui. unde etiam opinabile
 vnumquodque horum appellat. Sed Colotes, vt in
 10 quo ne mica quidē philosophiæ esset, pro vno & eo-
 dem accepit Non esse hominē, & Hominem esse nō
 Ens. At Platoni mirum in modum visum est differre *Platonis*
 Non esse, & Non Ens esse: nempe illo penitus omnē *Ens & non*
 15 tolli substantiam: hoc innui diuersitatem participā *Ens. Thea-*
 tis & participati. Hanc posteriores in generis & for- *teto, Sophi-*
 mæ, ac communium quorundam & propriarum quæ *sta, & alibi*
 dicuntur qualitatum differentiam duntaxat reiece-
 runt, neque progressi sunt aliū, cum in magis Lo-
 20 gicas incidissent difficultates. Est autem participa-
 ti ad participans ratio ea, quæ intercedit inter cau-
 sam & materiam, exemplar & imaginem, facultatem
 & effectum. quo pacto maximē differūt id quod per
 se est semperq; eodem modo habet, & id quod ab al-
 25 io pendens sibi nunquam constat: cum illud neque
 fuerit vnquam non Ens, neq; futurum sit, ideoq; o-
 mino & re ipsa Ens sit: hoc neque illud ipsum qui-
 dem Esse, quo ei contingit ab alio impertiri, firmum
 habeat: sed eo o'io imbecillitatē excidat. quippe ma-
 30 teria circa formam habēte, & multas affectiones mu-
 tati. Omnesque in substantiæ imaginem, ita vt mouea-
 tur ac fluctuet, recipiente. Sicvt ergo qui dicit
 Platonem non esse simulacrum Platonis, non
 negat ipsius sensum & essentiam simulacri: sed o-
 stendit discrimen eius quod per se aliquid est, ab eo
 35 quod eius respectu existit. sic neque naturam,
 neque vsum, neque sensum hominum tollunt,
 qui communis cuiusdam substantiæ participatione

vnumquenque nostrum seorsim factum esse imaginem eius quod similitudinem præbuit ortui pronunciant. Neque enim qui ignem ait non esse candens ferrum, aut Lunam Solem, sed (ut canit Parmenides.)

Noctem uagantem circa terram lucem alienam:

ideo ferri vltum, aut Lunæ naturam inficiatur. Sed si corpus esse, aut illuminatum neget: iam sensui repugnauerit, ut qui corpus, animal, ortum, sensumque non relinquat. Qui verò participatione ista habere suam essentiam intelligit, ac quantum absint ab his quæ semper sunt, ipsisque essentiam largiuntur: non is sensilia repudiat, sed quid sit intelligibile demonstrat. neque tollit eas affectiones, quæ nobis accidunt & sensu percipiuntur: sed his firmiora & constantioris esse alia ostendit naturæ, eo quod neque oriuntur neque intereant, neque perpetuantur quicquam: ac discrimen illud subtilius verbis exprimere docet, ut alia Entia, alia Fientia appellent. Idque recentioribus etiam usu venit. Multas enim & magnas res
 * Entis nomine dedignantur: vacuum, tempus, locum, simpliciter genus dictorum, in quo & vera omnia insunt. hæc enim non esse Entia, sed aliquid esse dicunt: iisque ut exstantibus & subsistentibus in vita ac philosophia perpetuò utuntur. Cæterum libenter ego ex isto repræhensore quærerem, An non in suis ipsi hoc discrimen rebus conspiciant, ut aliorum substantiæ stabiles sint atque immutabiles: sicut ipsi aiunt atomos ob vacuitatem perpersionum atque soliditatem semper eodem in statu perdurare: concreta autem omnia fluxa esse & mutabilia, oriri que & interire, subinde innumeris defluentibus simulacris, aliisque (ut par est) ex ambiente influentibus & congeriem explentibus, variatam his mutationibus & alia adfectam temperie. cum quidem etiam quæ in profundo concreti sunt atomi, nunquam desinant moueri & tremula concitatione ad se invicem ferri, ut affirmant ipsi. Est ergo in rebus quidem huiusmo-
 di

di diuerſitas ſubſtantix : ſed Epicurus Platone ſapiē
 tior omnia ſimiliter Entia nominat: inane puta illud
 tactum fugiens, corpus renitens, principia, res con-
 cretas. Eandem ſcilicet eſſentiam tribuens ſempiter
 5 nis ac caducis, & confundens cum naſcente id quod
 interitu vacat, cum pereunte id quod perpetuum &
 immutabile eſt : cum iis quorum natura aliter nun-
 quam habere poteſt, ea quorum Eſſe in motu & mu-
 tatione conſiſtit, & nunquam ſui ſimilia manent. Iā
 10 vt optimo iure in his dicatur Plato deliquiſſe: de cō-
 fuſione vocabulorum, mi homo, accuſandus erat ab
 hiſce puriūs Græcè ſcilicet loquentibus, & accura-
 tiūs differentibus : non vt qui res perimeret, & vita
 nos expelleret, quando Entia & Fientia non eodem
 15 modo quo ipſi appellat. Sed iam ad Socratem nobis
 eſt ſermo convertendus. Hæc ergo Colotes ſtatim *Socrates de*
 à ſacra, quod dicitur, linea mouit, cūque narraſſet *ſenditur.*
 Chærephontem Delphis oraculum attuliſſe de So-
 crate, omnibus nobis notum, ſic loquitur: Ac Chæ-
 20 rephontis quidem narrationem, vt planè ſophiſticā
 & præ ſaſtu odioſam omitto. Odioſus ergo Plato,
 ne de aliis dicam, qui id oraculum in litteras retule-
 rit. Odioſiores etiam Spartani, qui oraculum de Ly-
 curgo in antiquiſſimis aduerſariis ſcriptum ſeruāt.
 25 Sophiſtica verò fuit Themiſtoclis narratio, qua A-
 thenis cū perſuaſiſſet vt vrbe excederent, nauali
 prælio devicit barbaros. Importuni Græcarum le-
 gum conditores, qui pleraque ſacrificia Pythicum
 ſecuti oraculum inſtituerunt. Si ergo de Socrate vi-
 30 ro ad virtutem diuino inſtinctu incitato allatum re-
 ſponſum odioſum ob arrogātiā fuit & captioſum:
 quibus quæſo dignis vocabulis notabimus veſtros
 fremitus, vlulatus, plauſus tumultuoſos, cultus, ac di-
 35 uinas acclamationes, quibus celebratis ac prædica-
 tis veſtrum principem, ad voluptates crebras & con-
 tinuas exhortantem? Sic enim is in epiſtola ad Ana-
 xarchum ſcripſit. Ego autem ad voluptates continē-

*Colotis &
Epicuri mu-
tua venera-
tio.*

tes cohortor, non ad virtutes inanes, quarum de fructibus spes sunt vanæ & turbulentæ. Et tamen Metrodorus Timarchum exhortans, ait: Pulcrum aliud ex alio faciamus, adfectuum similitudine tantum non relicta vita terrestri in verè diuina Epicuri orgia nos demergentes. Ipse verò Colotes, cum audiret Epicurum de natura rerum verba facientem, subito ad genua eius accidit. hocque ipse Epicurus scribendo iactat. Tibi enim, tantam quam veneranti ea quæ tum à nobis dicebantur, incidit cupiditas nullam causam habens naturalem, ut genua nostra tangeres, nosq; amplectereris, omnemque solitum ritum venerandi, honorandi, compræcandique perageres. Quo effecisti, ut nos quoque te vicissim sacrum deputaremus ac veneremur. Idem gnosendum me hercle est dicentibus, quanto vis dato precio se picturam istius actionis spectaturos: Colotis ad genua Epicuri accidentis & eum amplectentis, Epicuri eum vicissim adorantis. Et tamen hoc demerendi officium, quanquam scitè obitum, Coloti fructum dignum non tulit. Non enim sapiens est pronunciatus, sed hoc tantum ei dictum: Interitus expertus mihi ambula, nosque eadem conditione esse intellige. Huiusmodi verborum, motuum, affectuumque illi sibi conscijs, tamen alios arroganter odiosos dicunt. Quin etiam Colotes cum arguta ista & pulcra de sensibus subiecisset, Cibus nos vesci, non feno, Magnos fluuios nauibus, vadefos pedibus transire, exclamat: Enim verò Socrates, arrogantibus ac gloriosis sermonibus studuisti: aliâque apud auditores disseruisti, alia egisti. Quid ni enim sint arrogantes Socratis sermones, nihil se scire, sed semper discere & quærere veritatem profitentis? Quod si in huiusmodi voces incidisses, quales Epicurus ad Idomeneum scripsit: Mitte itaq; nobis primitias ad sacri corporis cultum pro se & liberis, sic enim mihi dicere subit: quibuscumque verbis uti potuisses magis importum.

portunis? Sed Socratē aliter locutum, aliter vixisse, mirum in modum tibi testimonium perhibēt res gestæ ad Delium, ad Potidream, apud trigintaviros, ad Archelaum, ad populum, paupertas, mors. scilicet
 5 enim hæc eius sermonib. indigna sunt. Hoc, inepte, Socratem aliter locutum aliter egisse poterat convincere, si sine vitæposito voluptate vitam, qualem
De sensibus
 egit, egisset. Hæc ad calumnias responsa sint. Quod autem ad evidentiam attinet, non sensit Colotes eo
 10 rum se culpam sustinere, de quibus accusat Socratē. Est enim vnum de Epicuri decretis: nihil cuiquam
 ita certò persuasum esse, vt de sententia deduci non possit, excepto sapiente. Quando itaque Colotes sapiens non fuit, etiam post illas venerationes, primùm
 15 hæc interroget è suo familiari, Quomodo cibo vescatur non feno, Vestem corpori, non columnæ circumdet, cum neq; vestem vestem esse, neq; cibum cibum ita persuasum habeat, vt mutare sententiam nequeat? Sin & ista agit, & omnes aquis auctos pedes
 20 non transit, & serpentes fugit atq; lupos, nihil horū irrevocabili certitudine habens cognitū, sed in singulis id sequens quod videtur: equidē Socrati quodque nihil obstabat sua de sensibus opinio, quin eodē modo vteretur iis quæ videbantur. Neq; enim Colotæ panis panis videtur, & fenum fenum, quia cœlo delapsos istos legerat canones: Socrati autē præ
 25 arrogantia panis fenum, hoc panis visum fuit. Nam sapientes isti decretis & rationibus vtuntur quàm nos melioribus: sentire, & visa imaginari communis
 30 est affectio, quæ causis conficitur rationis expertib. Et illa disputatio quæ sensus ostendit non esse perfectos, non certissimæ fidei, interim haud negat videri nobis vnamquaq; rem: sed cum sensibus secundum ea quæ videntur vtamur ad agendum, monet nos non debere iis tanquam omnino veracibus & nusquam fallentibus fidere. Sufficit enim nobis
 35 necessarius sensuum vsus & quas inde percipimus

*Sui cogni-
tio.*

cōmoditates, quia aliud melius nihil suppetit: scien-
tia verò, quàm sapientiæ studiosa anima de singulis
expetit ac cognitio, sensib. nō adest. Ac de his quidē
denuò occasione dicendi præbebit Colotes, multos
hoc nomine repræhendens. Vbi autē effusè deridet
atq; cōtemnit Socratem, quærentē homo quid sit, &
iuuenili ostentatione dicentē se ignorare hoc: appa-
ret ipsum nunquā eam cogitationē suscepisse. Hera-
cletus quidem tanquā re magna & præclara gesta,
Quæsiui, inquit, me ipsum. Nā inter ea quæ Delphis
scripta sunt, maximè diuinū illud creditū est, Noris
te ipsum. idq; huius dubitationis & inquisitionis So-
crati ansam dedit, vt ait in Platonicis Aristoteles. At
Colotæ res videtur ridicula. Cur ergo nō deridet et-
iam præceptorē suū, idem hoc agentē, quoties scri-
bit aut differit de natura animæ & primitiis repenti-
nis. Si. n. ex ambob. vt ipsi volunt, corpore & anima
cōstat homo: qui naturā animæ quærit, hominis na-
turam is indagat à potiore orsus principio. Animam
autē ratione difficulter perspicere, sensu nullo compræ-
hendi, nō Socrati glorioso sophistæ, sed sapientibus
istis credamus: qui vsq; ad facultates animæ circa car-
nem occupatas, quib. calorē ea, molliciem, & robur
corpori præbet progressi, naturāque eius ē calore
quodā, spiritu, & aere cōpingentes, ad principē vsq;
vim nō perueniunt, sed animis concidūt. Aiūt enim
id, quo anima iudicat, meminit, amat, odit, deniq; in-
telligit ac ratiocinatur, supervenire à quadā innomi-
nata qualitate. Pudendæ verò esse ignorationis hāc
innominati istius confessionē, dum se nominare nō
posse dicunt quod compræhendere nequeūt, noui-
mus. Sed & hoc, vt aiunt, condonetur. Videtur enim
non vile aut facile, nec cuiusvis esse hoc perspicere,
cū in locū aliquē obscurū se abdiderit, admodū-
que occultatum sit: ac ne nomine quidem inter tam
multa proprio significari possit. Non igitur Socra-
tes stultus, seipsū quærēs, sed oēs qui ante hoc aliud
aliquid

aliquid quærendū suscipiunt: cū hoc cognitu necessarium, tā difficile sit inventu. non est enim quod speres aliarum rerum scientiam te adepturum, si te fugit eius quod tuorum est potissimum cognitio.

5 Sed demus hoc Colotæ, nihil perinde invtile ac odiosum esse, atq; est quærere seipsum: interrogemus autem, Quænam in hoc sit vitæ confusio, aut quare in vita perseverare non possit vir aliquando secum ratiocinans, Agedum quisnam ego sum? An aliquid

10 confusum mixtūque ē corpore atq; anima? an potius anima corpore vtens, vt equo eques, non compositum aliquid ex vtroque? an princeps animæ vis qua intelligimus, ratiocinamur, & agimus, id unusquisque nostrū est, reliquæ & animæ & corporis

15 partes, huius sunt instrumenta? aut omnino animæ nulla est substantia, sed ipsum sua temperie corpus facultatem intelligendi & viuendi nactum est? Verū his quidem quæstionibus Socrates vitam non evertit, cū ab omnib. tractentur eæ Physicis. Fortasse autem quæ in Phædro leguntur, atrocia sunt

20 & res conturbant: quando iubet quemvis seipsum debere excutere, sit ne animal ipse Typhone multiplicius & furiosius, aut diuinæ & fastus vacuæ portionis natura particeps. Atqui his ipsis ille ratiocinationibus non vitam sustulit, sed stuporem fastūque inde expulit, molestāsque illas & nimias hominum de seipsis opiniones atq; iactantias. Hæc enim sunt Typhon ille: quorum multa vobis magister inferuit, diis diuinisque hominibus bellū faciens. Post

25 Socratem & Platonē Stilpo oppugnatur. Huius quidem vera decreta, & sermones, quibus seipsum patriam, amicos, regēsque ipsi operam nauantes exornavit, tum animi elationem mansuetudini & affectuum mediocritati coniunctam, Colotes non retulit. Quas verò iocans ille sophistis ridensque obiecit sententiolas, harum vnā allegans, cū neq; refellisset neq; soluisset ipse probabilitatē, tragœdiā ad-

*Stilponem
defendit.*

versus Stilponem excitat, aitque ab eo vitam tolli,
 quod dixisset, Alterum de altero nō prædicari. Quo
 modo enim, inquit, viuemus, si non dicamus homi-
 nem bonum, hominem imperatorem, sed hominem
 hominem seorsum, bonum bonum, ducem ducem, 5
 neq; mille equites, urbem munitam, sed equites e-
 quites, mille mille, & alia similiter? Quis verò pro-
 pter hæc vixit deterius? quis istam Stilponis vocem
 audiens non intellexit esse venustè iocantis, & hoc
 exercitationis dialecticæ causa proponentis? Non 10
 hoc, Colora atrox est, hominem non dicere bonum,
 aut mille equites: sed, quod vos facitis, Deum non
 dicere Deum, nō censere Iouem esse genitalem, non
 Cererem legum autorem, non Neptunū fecundan- 15
 tem fateri velle. Hæc vestra nominum separatio ma-
 la est, vitamque implet impio deorum contemptu ac
 ferocia: quando adiuncta diis cognomenta avellen-
 tes, vnà aboletis sacrificia, mysteria, pompas, festos
 dies. Cui enim sacrificabimus ob arationis futuræ
 felicem eventum, ob partam salutem? quomodo Lu- 20
 ciferia, Bacchica, auspicia nuptiarū obibimus, subla-
 tis luciferis, Bacchantibus, præaratoribus, seruato-
 ribus. Hæc enim sunt quæ summas & præcipuas res
 attingunt, errorēque ipsis in rebus, non circa vo- 25
 cabula, aut dictionis constructionem, vel consuetu-
 dinem nominum gignunt. Proinde si hæc subvertūt
 viuendi rationem, ecquis magis in sermone peccat
 quàm vos? qui cū genus effatorum substantiā ser-
 moni substernatis, funditus tollitis voces, & obvia
 tantūm relinquentes vocabula, interim significatio 30
 * nes eorum per quæ discimus, (puta doctrinam, no-
 tiones anticipatas, noticias, animi imperus, adsen-
 siones) prorsus nihil esse dicitis. Enimverò Stilpo-
 nis argumentum tale est: si de equo prædicetur cur-
 rere, non idem esse cum subiecto prædicatum. Sed 35
 * aliam esse definitionem hominis, aliam boni: rur-
 sumque aliud esse equum, aliud currere. nam vtriuf-
 que

que definitionem postulati, non eandem vtriusque reddimus: ideoque errare qui alterū de altero prædicant. Nam si idem sunt homo & bonum, & equus ac currere: quo pacto bonum etiam de cibo & medicamento diceretur, rursusque currere de leone & cane. Ergo non rectè dicemus bonum de homine prædicari bonū, de equo currere, cum diuersa sint. Hoc loco ut maximè lancines Stilponem, qui eorum quæ sunt in subiecto, vel de subiecto dicuntur nullam admittat complexionem cum subiecto: sed vtrunq; eorum nisi prorsus idem sit cum eo cui accidit, ne ut accidens quidem de eo dici putauerit: tamen eū vocibus duntaxat quibusdam offendi, ac consuetudini dicendi se opponere, non vitā tollere, aut res abolere manifestò constabit. Porro autem Colotes reprehensione veterum defunctus, ad suæ ætatis philosophos se confert, neminem tamē nominans. cum aut hos etiā debuerit nominatim perstringere, aut ne veteres quidem. Verū qui Socratē, Platonem, Parmenidē toties stylo suo pupugisset: metu, quod manifestum est, viuientium nominibus pepercit, non verecundiæ causa moderatus sibi, qui præstantiores non fuisset reveritus. Vult autem, ut suspicor, Cyrenaicopriore loco Cyrenaicos redarguere, posteriore Aristoclesilaum & Academicos. quorum hi de omnibus rebus ad sensationem cohibent: illi affectiones & visæ in homine ponentes, nolunt fidem ab his factam sufficere ad affirmandum aliquid de rebus: & veluti in obsidione desertis externis in affectiones sese concludentes, de his pronunciant eas percipi: extrinsecus autem nihil. Ideoque eos Colotes viuere posse, aut rebus uti negat. Comœdiam deinde instituens, Hi, inquit, negant hominem esse, equum, parietem: ipsos autem parietari, equari, hominari. Primum ipsis, ut solent calumniatores, vocabulis utitur fraudulenter. Nam tametsi hæc sequuntur è Cyrenaicorum dictis, tamen oportebat rem ita decla-

*Cyrenaico-
rum philo-
sophia de
sensibus ex-
plicata.*

rare ut ipsi docent. Dicunt enim se à dulcedine, amo-
 rore, lumine, tenebris affici, cum harum affectionum
 quævis propriam efficacitatem in se & adfiduam ha-
 beat. si verò mel sit dulce, frondes oleastri amare, fri-
 gida glacies, merum calidum, nocturnus aer tene- 5
 brosus sit: multa contra testimonia ferri ab animali-
 bus, rebus, hominibus: cum multi mel averfentur,
 quædam animalia germen oleaginum pro cibo vfur-
 pent, à glacie vrantur, à vino refrigerentur, in Sole
 cæcutiant, noctu videant. Itaque intra adfectiones 10
 sese cõtinent opinio, ab errore tuta manet: efferens
 autem se inde, & curiosius iudicare ac pronunciare
 de rebus externis conans, cum seipsam sæpenume-
 rò cõturbat tum aliis repugnat, qui ab iisdem rebus
 cõtarias adfectiones & diversa visa percipiunt. Mihi 15
 verò videtur id vsuvenire Coloti, quod pueris etiã-
 num litteras discentibus: qui cum eas per notas a-
 gnoscant in suis tabellis, foris & alibi scriptas viden-
 tes dubitant ac trepidant. Nam Colotes etiam quas
 in Epicuri scriptis amplectitur sententias, non intel- 20
 ligit neque agnoscit, si ab aliis dicantur. Quippe si
 imagine nobis oblata rotunda aut fracta, dicunt Epi-
 curei sensum verè informari, non sinunt tamen di-
 cere nos turrim esse rotundam, aut ramum infractum
 revera: equidem affectionum visa confirmant, exter- 25
 na ita habere ut visa nobis sunt, non fatentur. Sed ut
 Cyrenaici equari se & parietari dicunt de equo &
 pariete nihil affirmant: sic etiã dicendum est rotun-
 dari aut obliquari visum Epicureis, non interim ne-
 cesse turrim esse rotundam, aut remum fractum ipsum 30
 dicere. quippe simulacrum quod visum adficit, fra-
 ctum est: remus à quo id fertur nequaquam. Ergo
 cum differentia sit inter affectionem & subiectum
 externum: necesse est aut fidem subsistere in affectio-
 ne cui adhibetur, aut si præterquam quòd videri, 35
 etiam esse rem id quod videtur pronuncies, te refelli.
 Vociferari autem & indignari propter sensum,
 quod

quod Cyrenaici id quod extrà est non dicunt esse calidum, sed in ipso sensu aiunt calidam extitisse affectionem: nōne idem est cum eo quod de gustatu dicitur, quando rem externam non affirmant esse
5 dulcem, gustatum autem dulcedine affectum fuisse fatentur? Et qui dicit imaginem se hominis percepisse, an externum illud homo sit se non sentire: vnde ansam nactus est? nōne hi præbuerunt, qui dicunt curuum aut teres sibi visum esse oblatum, sensum au
10 tem non hoc etiam pronunciare, rem cōspecta quæ fuit esse curuam aut teretem, sed effigiem quandam eius talem extitisse. Atqui, dixerit mehercle aliquis, aggressus ego ad turrim, aut remum tangens, pronuntiabo hunc rectum, illam multangulam esse. ille
15 etiam si proximè adstet, videri sibi ita & apparere duntaxat, nihil ampliùs fatebitur? Omnino quidem mi homo. quia melius videt & seruat id quod est consequens, omne visum pro se similiter fidem mereri, nullum pro alio, sed in vtrunque partem perinde esse. Tibi verò perit iam hoc decretum, omnes
20 sensus esse veros, nulli fidem derogandam, nullum falsum esse: siquidem huic sensationi putas etiam pronuntiandum de re externa, illi nihil præter affectionem fidei habuisti. Nam si eadem fides sensibus debetur comminus & eminus, aut omnibus, aut ne his
25 quidem tribuamus iudiciũ & pronunciationem de re externa. & si affectionis differentia accidit quando longiùs absumus, & propiùs à re quã sentimus: falsum iam est neque sensum sensui, neque visum vi
30 so evidentia præstare. Illæ autem quas attestaciones dicunt Epicurei, nihil ad sensum faciunt, sed ad opinionem. itaq; volunt vt eas secuti de externis pronunciemus, opinionis iudicium esse, sensus affectionem videri facientes, citàque ab eo quod planè
35 verum sit ad id quod sæpe fallit transferunt iudicium. Verùm hæc quanta turba & quot contradictionibus referta sint, quid attinet in præsentia di-

De Arcefilai cere? Arcefilai autem gloria videtur Epicuro haud
philosophia mediocrem attulisse ægritudinē, qui inter eius tem-
 poris philosophos maximi fiebat. Dicit eum Epicu-
 rus nihil proprium proferentem, suspicionem de se
 apud illitteratos & gloriam parasse, scilicet quod ipse
 esset litteratus admodum & doctus. Sanē Arce-
 filaus tantum abfuit ab omni nouandi, aut vetera
 sibi arrogandi studio: vt etiam vitio ei sophistæ eius
 ætatis dederint, quod sententias de cohibenda as-
 sensione, & compræhensionis negatione, Socrati, 10
 Platoni, Parmenidi, Heraclito acceptas ferret: nul-
 la quidem necessitate, sed tantum eas viris nobili-
 bus inscribendo confirmans ac commendans. Gra-
 tias ergo agamus hoc nomine Colotæ, & omnibus 15
 qui Academicam rationem ab antiquis ad Arcefi-
 laum promanuisse aiunt. Illam verò assensionis de
 omnibus rebus retentionem, ne hi quidē qui in hoc
 negocio valdē occupati fuerunt, ac voluminib. scrip-
 ptis disputationib.que contenderunt, evertere po-
 tuere: sed ad extremum ex ipsa Stoa vitam ociosam 20
 proferentes, qua tanquam Gorgone obiecta ter-
 rerent, fessi desierunt. Quippe omnia tentan-
 do, & omnia mouendo, tamen ab incitatione ea
 qua ad agendum fertur appetitus, impetrare non
 potuerunt vt se assensionem dici pateretur, aut pro
 principio sui momenti sensum agnosceret: sed ap- 25
 paruit eam sponte sua ad agendum ferri, nihilque
 ad hoc assensu indigere. Et quidem aduersus alios le-
 gitima sunt certamina: ac

Iliad. v, 250

Qualia dixisti, reddentur talia uerba.

Colotem autem puto quæ de appetitione & adsen-
 sione disputantur ita audire, vt asinus lyram. Iis ve-
 rò qui adsequuntur & audiunt ista dicitur, cum tria 30
 sint animi motuum genera, imaginans, appetens, ad-
 sentiens: primum illud ne si consermur quidem abo- 35
 leri posse, nam necesse est, cum res nobis offeruntur,
 earum visâ nos concipere & adfici. Appetens autem
 ab ima-

De appetitu
 & assensio-
 nis reten-
 tione,

ab imaginâte excitatû ad naturâ suâ accommodata
 hominem efficaciter mouet, quasi momento & nu-
 tu in principe parte factô. Ne hoc quidem tollunt,
 qui de omnibus adsensum cohibent, sed appetitio-
 5 ne vtuntur naturaliter ducente ad id quod videtur
 conueniens. Quid fugiunt igitur vnum? id, cui soli
 error & falsitas inhæret, opinionem: quando adsen-
 sus præ imbecillitate ei quod videtur concedit, ei-
 que se applicat, nihil vtile habens. Actio enim dua-
 10 bus opus habet rebus, viso eius quod naturâ con-
 gruit, & ad hoc incitatione: quorum neutrum reten-
 tioni adsensum repugnat. Nam hæc rationem ab opi-
 nione, non ab appetitione & visis abstrahit. Cum er-
 go oblatum est visum rei ad naturâ accommodatæ,
 15 nihil opus opinione est ad motû quo ad eâ feramur:
 sed statim se exferit appetitio, qui motus est & latio
 animæ. Et verò horum ipsorum quod debeat sensus
 haberi, & carneus esse, & videbitur voluptas bonû.
 Ergo etiam retinenti adsensum videbitur bonum.
 20 etenim sensus habet, carneus est, visoq; boni oblato
 appetit hoc, & incitatur, omniâq; agit ne ipsum hoc
 effugiat: sed quantum fieri potest semper deget cum
 eo quod naturâ ipsius est accommodatum, tractus
 naturalibus, non geometricis necessitatibus. Ipsæ
 25 enim hæ pulcræ absque doctore invitant lenésque
 & blandæ motiones carnis, vt ipsi Epicurei dicunt:
 adeò vt his omnino non adfirmans neq; confitens
 flectatur tamen & emolliatur. Sed quomodo, in-
 quis, non in montem abit currens, verum in balneû?
 30 & in forum progressurus non ad parietem, sed ad ia-
 nuam accedit? Tene hoc interrogare, qui summam
 certitudinem, veritatēque visis tribuis? quia enim
 non mons, sed balneum ei balneum videtur, & non
 paries ianua, sed ostium, itēque eodem pacto res
 35 singulæ. Nam retentionis istius ratio non pervertit
 sensum: neque brutis eius affectionibus & motibus
 alterationē infert quæ imaginantem vim cōturbet.

*Absurda E-
picureorū.*

tantum opiniones reiecit, reliquis utitur ut natura fert eorum. At, dices, nefas est non adsentiri evidentibus: nam negare quorum fides est indubitata, absurdius est quam neque affirmare neque negare. Quis ergo convellit ea quae credita sunt, quis evidentia impugnat? Qui diuinationem tollunt, qui providentiam deorum negant, qui Solem & Lunam animis praeditos inficiantur, cum omnes homines sacra iis & vota faciant ac colant. Nonne verò quod in confesso est apud alios, fetum parentum natura contineri, vos diffitemini? Nonne contra omnem sensum dicitis inter dolorem & voluptatem nihil esse medium, & in voluptate esse quod vacat dolore, in dolore quod voluptate caret? Sed ut reliqua missa faciam, quid tandem ita evidens est, itaque pro certo habetur, atque hoc, eorum qui animo sunt abalienati, aut melancholicis conturbationibus laborant, falli visum atque auditum: cum talia dicuntur,

Hæ mihi nunc oculos inflammant. uestibus atris

Indutæ, manibusque facies ignemque gerentes.

& * 20

— ipsa matrem in ulnis habens meam.

Hæc &

huiusmodi multa, hisque atrociora, ac Empedoclis monstorum similia (quae derident illi, boum genus errabundis vestigiis ambulans, vastum gulum, humano capite) denique è somniis & furoribus omnis generis visa insolentia colligentes: horum nullum aiunt errare, nullum mendacium esse, nihil quod non cohercat: sed omnia visa illa vera esse, & corpora ac formas ab ambiente aëre venientes. Quid tandem impossibile censeamus, si ista credi possunt? Nam quas nullus opifex aut mirabilium fictor, aut temerarius pictor auderet inter se componere formas, ut spectaculum earum ludicrum redderet: ea ipsi serio affirmantes esse, immò autem si hæc non sint, actum esse de fide, constantia, & iudicio veritatis dicentes, omnes res in obscuritatem coniiciunt, iudiciisque metus, & actionibus suspensiones inducunt: si quidem quæ

quæ nos agimus, statuimus, vsurpamus, præ mani-
 bus habemus, eidem imaginationi ac fidei innitun-
 tur, cui curiosa ista, absurda, & scelerata visa. Aequa-
 litas enim quam ipsi ponunt, magis derogat fidem
 5 iis quæ pro certis habentur, quàm conciliat istis ra-
 tionibus ita aduersis. Itaque nouimus philosophorum
 haud paucos malle hoc ponere, nullũ esse visum ve-
 rum, quàm omnia esse vera. magisque diffidentes o-
 mnibus in quos incidant hominibus, rebus, ac ser-
 10 monibus, quàm vnum vt verũ putent visum de his,
 quæ rabiosis, Corybanteo furore exagitatis, aut so-
 mniantibus accidunt. Ergo cùm alia repudiare visa, *
 alia non licet: hæc saltem, si nulla esset, causa sufficit,
 vt rebus tam suspectis ob tantam visorum dissonan-
 15 tiam, cohibeamus adfensionem. nihil alioqui (vt di-
 citur) sani, obscuritatẽ autẽ conturbationemq; habi-
 turi. Nam illę quidem mundorũ quas Epicurus tra-
 dit infinitates, atomorum naturæ, indiuiduorum &
 declinationum diuersitates, quanquam multos per-
 20 turbant: tamen id consolari nos potest, quod nõ in
 proximo ea sunt, sed vnumquodque istorum de qui-
 bus disputant, longẽ est in alteram partem à sensu
 remotum. Illa verò ob oculos versans & aures ma-
 nusq; incredulitas, conturbatio, & ignoratio de sen-
 25 sibus & visis, utrũ vera hæc an falsa sint: quã non
 labefactant opinionem, quam non sus deq; fert ad-
 fensionem & iudicium? Si enim non crapula obru-
 ti, aut medicamentorum vi concussi & delirantes,
 sed sobrij, sani, & qui scribant de veritate, normisq;
 30 & iudicio veritatis, in evidentissimis sensuum affe-
 ctionibus atque motibus, aut id quod non exstat ve-
 rum, aut quod verum est, falsum & non exstans po-
 nunt: digna res est admiratione neque incredibile
 quòd nullum, sed quòd cõtraria invicem de iis quæ
 35 apparent ferunt iudicia. Minus quippe mirum est, in
 neutram aliquos partem pronunciare, sed retinere
 adfensionem in iis quæ sunt contraria, quàm esse qui

pugnantia secum pronuncient. Qui enim neque ait
 neque negat, sed cohibet sese, is & affirmanti minùs
 quàm negans, & neganti minùs quàm aienti aduer-
 satur. Iam si de his potest adscētio retineri, de alijsq;
 quoque non erit hoc impossibile: de vestra quidem
 sententia, qui sensum sensu & visum viso neutiquàm
 præstare dicitis. Non ergo fabula est, aut petulan-
 tium & temerariorum inventum adolescentium de
 cohibenda adfensione doctrina, vt putat Colotes:
 sed habitus virorum, & affectio custodiens ab erro- 10
 re, neque permittens ita suspectis & inconstantibus
 sensibus iudicium: neque decipi sinens vnà cùm his,
 qui visis quæ de obscuris concipiuntur rebus fi-
 dem aiunt habendam, cùm in obuiis tantum videât
 inesse incertitudinis, atq; obscuritatis. Enimverò fa 15
 bula est infinitas Epicureorum & imagines, temeri-
 tatem & petulantiam indit adolescentibus, is qui
 * de Pythocle nondum annos nato x i i x scribit,
 Non esse indolem in tota Græcia meliorem, ac mon-
 strosè eum prædicat, & muliebria pati, vt hæc exsu- 20
 perantia adolescentis bona propria sint & ab inui-
 dia ac Nemese tuta comprecans. sophistæ verò sunt,
 & arrogantes, qui aduersus laudatos viros tam la-
 sciue & superbè scribunt. Sanè Plato, Aristoteles,
 Theophrastus, Democritus, iis qui ante ipsos fuere 25
 contradixerunt: librum autem tali inscriptione, om-
 nes eo vnà impugnari, nemo alius præter Colotam
 est ausus edere. Vnde factum est, vt sic vt qui numen
 aliquod offenderunt, ipse suum prodens flagitium
 „ in hæc verba scripserit sub finem iam libri: Qui vi- 30
 „ tam, qui leges composuerunt, atque iura, vtque re-
 „ gerentur vrbes & imperio magistratuum parerent
 „ instituerunt, ij in tranquillo admodum nos ac tuto
 „ collocauerunt, tumultibúsque liberauerunt. ista si
 „ quis aboleret, ferarum porro vitam victuri essemus, 35
 „ & quisque obuium quenque tantum non devoratu-
 „ rus. Hæc neque iustè, neque verè dicuntur. Nam si
 quis

quibus legibus sublatis, Parmenidea, Socratica, Platonica, Heraclitea relinquat nobis decreta, lōgè profectò aberit res nostra à belluina vita & mutuis devorationibus. *Laus philosophiæ.*

5 gratia venerabimur iustitiam, deos, bonos magistratus: cū genios vitæ nostræ custodes nos habere sentientes, tum omne aurum quod supra infraq̃ue terram est precium virtutis non æquare censentes: facientēsque vltro monitu rationis, ut ait Xenocrates, quæ nunc inviti metu legum facimus. Quando ergo vita nostra erit belluina, fera, infociabilis? Cū sublatis legibus manebit ad voluptates exhortans doctrina, providentia deorum negabitur, sapientes putabuntur qui inhonestum despiciunt, cui non adhæreat voluptas. cū ridebuntur isthæc & subsannabuntur. *Epicuri decreta damnosa.*

Est oculus omnia cernens Iusticiæ tamen: &:

Stans in propinquo comminus videt Deus. &:

20 Deus quidem, ut & antiquitus traditum est, principium, medium, finemque tenens omnium rerum, re ipsa etiam lineam conficit secundum naturam incedens. Hunc sequitur Iusticia, vindex eorum qui à diuina desciscunt lege. Hæc enim qui tanquam fabulas con- temnunt, & circa ventrem felicitati locum statuunt reliquisque voluptati paradæ servientibus laboribus: iis lege opus est, metu, verberè, ac rege vel principe ius in manibus habente, ne proximum quisque quen- que devoret præ gulæ studio impietate efferato. Talis quippe brutorū est vita, quæ nihil voluptate pul- 30 crius norunt, neque iusticiam deorum agnoscunt, neque pulcritudinem virtutis veneratur: sed si quid iis à natura calliditatis, audaciæ, virium inest, eo ad carnis voluptatem & satisfaciendum concupiscen- tiæ utuntur. Itaque sapiens Epicurus, qui dicat, Omnia pulcra, sapientia, & subtilia animi inventa pro- pter voluptatē carnis spēsque eò pertinentes esse con- stituta: & omne opus inane esse, quod non eodem

tendat. Vbi his ratiocinationibus, ac philosophia tali sublatæ fuerint leges: tantum ungues leonum ad vitam ferinam, & dentes luporum, bouum ventres, & colla camelorum defunt. Atq; hos quidē animi sensus, hæc decreta, bruta ob sermonis & litterarū inopiam mugitibus hinnitibusq; exprimunt, omnisq; eorum vox ventri voluptatiq; seruit, quam vel præsentem vel adfuturā amplectuntur & adulantur. nisi si quod animal natura laboris studiosum est aut garulum. Omni itaque laude maiores digni sunt, qui adversus ferinas istas cupiditates legum reip. magistratuūque constitutiones invenerunt. Qui verò sunt qui hæc confundunt, funditusq; tollunt? Nonne hi, qui coronam vacuitatis perturbationum potio-
 15 tiorem magnis imperiis aiunt? qui regnum gerere, peccatum esse & errorem pronunciant, scribuntq;
 „ his verbis. Hoc dicendū est, quo quis modo quam-
 „ optimè naturæ finem conseruet: & quo pacto spon-
 „ te sua iam ab initio caueat sibi à suscipiendo in mul-
 „ titudinē imperio. Quin & hæc ad illos scribit. Non
 „ itaq; necesse porro est Græcos seruare, aut coronam
 „ ab iis ob sapientiam reportare: sed edendū est & bi-
 „ bendum o Timocrates, quātum carni gratum & in-
 Religio. noxium est. Atqui in legum cōstitutione, quam Co-
 lotes laudat, primum est & maximū, de diis opinio. 25
 quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa
 Romanos, & Ion antiquus Athenienses, & Deucalio
 Græcos ferè vniuersos diis consecrauerūt, votis, sa-
 cramentis, vaticiniis, omnibusq; eos ob spem ac me-
 tum diis deditos obnoxiosq; reddentes. Et si terras 30
 obeas, invenire possis vrbes muris, litteris, regi-
 bus, domibus, opibus, nomismate carentes, gymna-
 siorum & theatrorum nescias: urbem templis diisq;
 carentem, quæ precibus, iureiurādo, oraculo nō vta-
 tur, nō bonorū causa sacrificet, nō mala sacris aver-
 35 tere nitatur, nemo vnquā vidit. Sed facilius urbem
 condi sine solo posse puto, quàm opinione de diis
 penitus

penitus sublata ciuitatem coire aut cōstare. Cæterum id quod omnem continet societatem, omnium legum fundamentum est, illi non per ambages aut obscure & perplexa ratione, sed palam subvertunt
 5 prima suarum maximè ratarum sententia prolata. Deinde quasi diuina vindicta exagitati, fatentur atrox se committere flagitium, qui iura confunderent, legumq; constitutiones abolerent: vt veniam quoq; impetrare nō debeāt. Nam opinionis aliquo
 10 errore decipi, vt sapientis nō sit, saltem hominis est. Eam autem culpam, quam ipse committis, in alios conferre, quale sit nisi iis quæ res meretur nominibus dici nequit. Cū enim aduersus Antidorū aut Bionem sophistam scribens, legum ordinis, & reip.
 15 facit mentionem: nōne poterat rectè horum aliquis ei dicere,

Mane tuo quietus in lecto, miser,

Euri. Orest.

tuum curans corpusculum: me hoc nomine accusent, qui ciuilitate & re familiari rectè instituta vixerunt? Hi verò sunt omnes ij, quos maledictis impetiit Colotes. Ex his Democritus iubet artem bellicam discere, vtpote maximā: ac labores sectari, quibus res magnæ & splendor hominibus paratur. Parmenides suam patriam optimis exornauit legibus,
 25 eiúsque adeò institutis ciues staturos se quotannis iurare magistratus cogunt. Empedocles principes ciuium peculatus & contumeliosarum iniuriarum convicit: ac regionem sterilitate & pestilentia liberauit, obstructis montis faucibus per quas Auster
 30 in campos incidebat. Socrates damnatus, cū ei effugiendi opportunitatem amici parassent, legū confirmandarum causa nō est ea vsus: maluitque iniuste mori, quā contra leges evadere. Melissus patriæ prætor, Athenienses nauali vicit prælio. Plato in suis scriptis præclaram de legibus & rep. doctrinam reliquit, multo autem meliora socios docuit: quibus vsus Dio Siciliam liberauit, Pytho & Heracli-

Verorū philosophorum cum Epicuro comparatio.

des Coty interfecto Thraciam. Chabrias quoq; & Phocion Imperatores Atheniensium ex Academia progressi sunt. Sanè Epicurus in Asiam misit qui Timocrati cōvicium facerent, & eum ex aula regis emerent, quòd offendisset fratrem Metrodorum. atque hæc in ipsorum sunt scripta libris. Plato autem de fociis misit Arcadibus Aristonymum reip. constituendæ causa, Eleis Phormionem, Pyrrhæis Menedemum. Eudoxus Cnidiis, Aristoteles Stagiritis leges posuerunt, familiaris vterque Platonis. A Xenocrate præcepta de regno petiit Alexander. Qui ad Alexandrum ab Asiam incolentibus Græcis missus fuit, maximòq; eū ad bellum in Barbaros suscipiendum inflammavit, Delius fuit Ephesus, Platonis socius. Zeno Parmenidis discipulus Demylo tyranno insidiatus, re infelicitè gesta doctrinam Parmenidis velut aurū in igne illæsam ac probā factò ostendit. scilicet turpitudinem magno viro metuendam esse: dolorem à pueris, & mulierculis, ac viris animū muliebrementibus timeri. Linguam enim suam dentibus amputatam in tyrannum expuit. Ex Epicuri autem decretis non dicā quis tyrannicida, quis eximiam rebus agēdis laudem meritis, quis legumlator, quis princeps, quis regis consiliarius, quis populi tutor exstitit, quis pro iusticia tortus, quis mortuus est? Sed, quisnam sapientum istorū propter patriam nauigavit, legationem obiit, sumtus fecit? ubi civilis vlla vestrū alicuius actio scripta exstat? Metrodorus x l stadia in Paræum descendit, Mithracuidam Syro vno de regiis capto opitulaturus. De hoc facinore scilicet in omnibus ad omnes epistolis magnificè scripsit Epicurus. Quid facturos putas fuisse, si quid tale egissent, quale est quod Aristoteles confecit, vt patria ipsius à Philippo eversa instauraretur, quod Theophrastus suam bis à tyrannis occupatam liberauit? nōne oportebat prius Nilum biblos ferre desinere, quàm illos de se scribēdo defati-

defatigari? Neque id maximè indignum est, quòd
de tot philosophis soli hi ferè asymboli in partē bo-
norum quæ sunt in ciuitatibus perveniūt, sed quòd
Tragicis & comicis poëtis semper conantibus ali-
5 quid stipis conferre & dicere pro legibus & repu-
blica: hi etiam si scribant, de repub. scribunt ne eam
geramus, de rhetorica, ne ea utamur, de regno, ut
fugiamus convictum regum præcipientes. Ciuiles
autem viros deridentes, gloriámque eorum obruen-
10 tes, solis verbis Epaminondam aliquid aiūt habuisse,
idque perexiguum. ipsum verò ferreum viscus ap-
pellantes, quærunt quid acciderit, ut per mediam
iter faceret Peloponnesum, non pileolo sumto do-
mi desideret, nimirum totus ventri curando inten-
25 tus. Quæ autem Metrodorus in opere De philoso-
phia digressus ad remp. traducendam scripsit, non
putavi reticenda. Sapientum quidam ait fastus abun-
dantia ita pulchrè perspexerunt opus eius, ut pro-
ruerint ad affectandas res Lycurgi & Solonis factis
20 æmulas, secundum rationes vitæ & virtutis. Sicci-
ne fastus hoc erat, & abundantia fastus, liberas esse
Athenas, Spartam bonis regi legibus, adolescentes
non ferocire, nō tollere prolem è scortis, neque di-
uitias, luxum, & libidinem rerum potiri in vrbibus,
25 sed legem & iusticiam? Hæc enim sunt quæ expete-
bat Solon. Et cōvicium Metrodorus his addit. Ideò
æquū est ut rideat effusè liber homo cū alios, tum
Lycurgos istos & Salones. Atqui, Metrodore, hic li-
ber non est, sed illiberalis & contumax, & ne libera-
30 li quidem dignus flagello, sed nodoso illo, quo gal-
los in magnæ matris sacris delinquentes puniunt.
Non legumlatores autem, sed ipsas leges fuisse ab
his impugnatas, ex Epicuro audire licet. Nam se-
ipsum in dubitationibus interrogat, facturúsne sit
35 sapiens quòd leges prohibent, si id clam sit futurū.
& respondet, non expeditum est simplex attribu-
tum. hoc est, Faciā, sed diffitebor. Rursum, puto ad

Idomeneum scribens, seriò iubet eum viuere nò seruitutem legibus, & decretis, nisi quatenus ob vicinum ictum perturbationem adferunt. Ergo si vitam humanam perimunt, qui leges & reip. rationes tollunt: id autem faciunt Epicurus & Metrodorus, familiares à rep. gerenda dehortantes, gerentibus infensi, principes & sapientissimos legum conditores maledictis proscindentes, leges contemnere iubentes, vbi metus plagæ & pœnæ abest. non, puto, tantum falsò Colotes aliis intentauerit crimen, quantum verè doctrinæ & decretis Epicuri intulit. 10

PLVTARCHI

De communibus noticiis
adversus Stoicos,
Liber.

*Stoici sensibus
fidē de
rogant.*



AMPRIAS. Te quidem, Diadumene, apparet non admodum curare, si quis vos philosophari contra communes noticias dicat: cùm fatearis te sensus etiam contemne- 25
re, à quibus ferè pleræque noticiæ oriuntur, fundamentumque eorum quæ videntur fidem habent, cui innitantur. Me autem magnæ (vt mihi videor) & absurda plenum perturbationis ad te venientem, quamprimùm velim sanes: siue id 30
rationibus quibusdam, siue incantationibus, siue alio aliquo modo alloquiij potes. adeò sum exagitat-
us, & animi incertus factus à Stoicis quibusdam, viris aliàs optimis, atque etiam familiaribus, sed qui nimis acerbè atque hostiliter Academiam insecta- 35
rentur. Nam pauca quædam à me verècundè & graui-
tèr (non enim mentiar) dicta, haud placidè re-
prehen-